

V g
5351





DK. 191.
191

1678



M D Georgy Lehmann

Ad
audiendam **ORATIONEM,**

quæ
binas de Reformatione etiamnum hodie
in Ecclesiis necessariâ, epistolas,

alteram *Adriani Pauli,*
alteram *Johannis de la Badie,*

pro recolendâ memoriâ Reformationis

pridiè Calendas Novembris Anno 1517.

à B. Luthero cœptæ,
excutietur,

Utriusq; Reipubl. Proceres,


ac Cives Academicos

invitat,

UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

RECTOR.

*De Luthero vero Reformatore. S.
De reformatione ecclesiast. ab emendat.
doctrinae incipienda.*





כ"ע



Vam necessarium pariter & arduum sit veræ in Ecclesiâ reformationis opus, vel inde satis superq; constat, quod ex ipsâ membrorum illius omnium salus procul dubiò dependet. Nimirum quod ferè quotidiè accidere animadvertimus, ut lolii impunè succrescentis copia tandem mortis felubrium herbarum causa sit, id ipsa quoque Ecclesia in finibus ac terminis suis experitur. Certè nisi erroribus, qui irreperunt, depulsis, supremi Numinis cultus adulterini, eiq; quem ipse Deus in verbo suo revelavit, minus cõsentanei aboleantur, nulla in spiritualis matris istius gremio sperâda erit animæ incolumitas.

Veruntamen quantò magis factu necessaria est Reformatio, tantò profectò difficilius majoriqve cum discrimine ea suscipitur. Quod ipsum sufficiens nobis argumentum præbet divini illius afflatus, divinæq; vocationis, quo utroq; instructus Megalander Lutherus Noster Saxoniarum Ecclesiarum è Romanâ Babylone liberationem primùm hâc die ante hos centum & sexaginta unum annos aggredi sustinuit. Equidem hoc illud est, quod omni semper conatu, omnibusq; viribus impugnarunt Romani Antichristi Defensores, sed hos egregiè omnes refellit, silentiumqve obturato ore imposuit Dn. D. Joh. Mullerus, b. m. a), qui jamdudum in hoc negotio ferias nobis fecit. Recordamur tamen alicujus rationis, quam præter reliqvas Jesuita Lessius b) contra nos torqvæ, inde Reformationem Lutheri impugnaturus, quod eadem Calvino vulgò adscribatur, hujusqve sectatores ab eâ Reformatorem sibi nomen sumant.

Da-



a) *Lutheri Defensi c. 2. conf. Keslerus vom genannten Lutherthum part. 1. quest. 2. 3. & 4.*

b) *considerat. 9. rat. 3.*



Dabit enim hoc ipsum nobis occasionem, quæ veræ sit Reformationis facies, hâc vice paucis inquirendi; Fiet autem id facillimè, si solius tantum vocabuli originem attentius intueamur.

Reformatio non novam alicujus rei productionem, sed productæ, & corruptæ seu depravatæ restaurationem vi nominis significat. Illa nimiram enclitica particula, quæ priorem compositionis partem in hâc voce constituit, neutiquam hîc sensum verbi, cum quo componitur, contrarium facit, sed reiterandi potius vim habet, quod in plurimis aliis vocabulis usu venire Lexicographorû autoritas manifestat c) Interim quando reformatione novam formam res reformata sortiri nonnunquam dicitur, non absolutè id de tali formâ, quæ omninò antea non fuerit, sed comparatè & secundum quid, prout ad vitium rei seu ipsius depravationem respectus habetur, intelligi debet. Contraria autem reformationi est deformatio, privativè talem veræ religionis corruptionem notans, quâ scripturarum sacrarum luci, unico salvifici Cultus divini principio, tenebræ variæ offunduntur. Dura verò in horum vocabulorum derivationem ulterius inquiremus & à formâ primariò appellationem illa habere reperimus, clarum nobis evadit, denotari talia accidentia, quæ ipsam formam & essentielles Religionis partes afficiunt. Quapropter non nisi ἀκῦρωσις reformatio dicitur, quæ certæ tantum ceremoniæ, & eæ quidem, quæ nihil ad fidem vel generandam vel confirmandam faciunt, sed omninò liberæ sunt & indifferentes, quodammodo immutantur. *Irrita est omnis reformatio, si non repurgetur primum doctrina*, verba sunt B. Reformatoris nostri Lutheri d). Ipsa summa Religionis capita aggredi verus Reformator debet, quæ vel humanæ menti salutarem de Deo notitiam ingerunt, vel salvificæ fidei, credendorumq; naturam & rationem proponunt. Nam ita demum abominatio desolationis in Ecclesiâ manifestabitur, & ab eadem tolletur. Quemadmodum autem verbum Dei revelatum unicum credendi, ipsiusq; adeò religionis principium est, ita etiam ad illud, piam reformationem instituendam & velut ad normam exigendam esse cuilibet facilè patet. Hinc rectissimè Po-

c) conf. Perottus Corn. Cop. p. 294. lin. 57.

d) tom. 3. in Genes. p. 193. Altenburg. tom. IX. p. 1072. in explicatione capituli XXXV. Genesios.

lanus e) deformari religionem ait, vel additione humanarum opinionum, & traditionū, vel detractioe ejus, quod Deus præcepit: Reformari autem tum errorum, qui invaluerunt, eradicatione falsorumq; cultum, abolitis opinionibus cum verbo Dei pugnantibus, tum veræ religionis instauratione & in teoriâ & in praxi illius, revocatis omnibus ad prudentiam justorum, ut omnes pendeant à patribus illis justis, qui verâ sapientiâ divinitus instructi, per Spiritum S. locuti sunt, i. e. Prophetis & Apostolis &c. In quo tamen autore Calvinisticam simul hypernomiam cum B. Dn. D. Dannhauero f) notamus, dum reformationem in abrogatione quoq; ceremoniarum veræ religioni, ut loquitur, humanâ audaciâ in Sacramentis & reliquo cultu Dei ad sperfarum ponere non dubitat. Præterquam enim quod harum ceremoniarum observatio libera est Ecclesiæ, nimisq;, violentâ determinatione ejusmodi adiaphoriæ ad ligandas sub peccato conscientias adhibentur, proximè ostendimus, propriè Reformationis nomen haudquaquam mereri illam, quæ circa externa occupatur. Atq; ex hoc fundamento pleræq; etiam Papales Reformationes, quas ante Lutherum susceptas historiarum monumenta produnt, irritæ fuere, omniq; prosperiori successu caruerunt. Quod ipsum à B. Luthero quoq; observatum fuit; *Vide, in quiente, g) stultitiam Pontificis. & omnium conciliorum posteriorum, quæ primum ordinant aliquas ceremonias, jubent sacerdotes longis vestibus uti, diligenter legere horas Canonicas & Missas, prohibent aleam, scortationem. Hanc ipsi Reformationem Ecclesiasticam appellant &c.* Cujus quidè exempla plurima Catalogus Testium veritatis & Centenarii Wolffii exhibent. Veruntamen vicissim fuisse quoq; negari nequit, qui non à monachis, sed ipsâ Curiâ Papali, hujusq; terris a horrendis dogmatibus reformandi initium fieri debere agnoverunt b). Quo pertinet & illud, quod de Sigismundo Imperatore vulgò perhibetur i). Hic cum pio proposito, nullo tamen eventu, de instituendâ reformatione consiliarios deliberare jussisset, ab Ecclesiasticis consi-

lium

e) *System. Theol. l. 9. c. 1. de verâ religione seu pietate p. 661.*

f) *Hodomor. Calvinist. phantasm. VI. p. 1329.*

g) *loc. antea citato.*

b) *conf. auctarium Catalogi test. ver. class. 2. n. 37. sub tit. Jacobi de Paradiso p. 59. i) conf. Wolff. op. mem. t. 1. in ep. ded. p. 7.*

lium retulit, à minoritis incipiendum esse, quibus ipse respondisse fertur: non à Minoritis, sed à Majoritis: innuens, ipsum Papam cum Cardinalibus & Episcopis eâ plus egere, quia scilicet inde ab hoc capite in reliqua membra, non morum tantummodò perversitas & corruptio, sed & doctrinarum, nullo Sacri Codicis fundamento suffultarum, pestis derivaretur. Etenim quis nescit, reliqui corporis *Evangelii* frustra sperari, ubi capitis defectus sentitur? Sed ut ad Calvinianos veniamus, in hoc ipsi cum Pontificiis conspirant, quod reformatorum titulum ab inrempestivâ quorundam adiaphororû, rerumque suâ naturâ indifferentium correctione, teste D. Walthero *k*), arcessent ac derivent. Equidem etiam quod ipsa fidei salvificæ dogmata attinet, inauspicatò quædam in Ecclesia mutârunt & Zwinglius, & Calvinus, & Oecolampadius; verùm hanc reformationem Sacramentarii, quoniam consensum cum Lutheranis in fundamento religionis tantoperè jactant, potius dissimulare satagunt. Utrâque interim ratione verius deformatos, vel certe à Calvino sociisque noviter ac primum formatos, inquit; vetere Ecclesiâ hospites ac peregrinos, præeuntibus Dn. D. Danhauero *l*), Corvino item & Walthero, quos ille citat, dixeris. Certè si Reformatio abrogatio est errorum, qui invaluerunt, interprete Polano *m*), Calviniana Religio dici reformata nequit, cum novos errores inferat, & expressæ verbi Divini Sacrique Codicis literæ contradicat, quod alibi pluribus demonstratur. Quod si, eodem Polano autore, Religio additione humanarum opinionû, ac traditionum, deformatur, cadet & hoc nomine superbus ille titulus, quem nimis arroganter sibi solis vindicare ausi sunt Helveticæ Confessionis addicti. Equidem Polanus verbis modò allegatis nostram potius, ut ita ex ipsius mente loquar, audaciam refutare velle videtur, quippe quâ addere religioni aliquid ceremoniarum & rituum, cujus tamen ne verbulo mentionem faciat scriptura, non dubitemus; sed huic nos reponimus, deformari religionem tali hominum additione, quæ fundamentales fidei articulos aliquâ ex parte, propriâ autoritate augeat, ne utiquam eâ, quâ externus tantû splendor ac decorus ordo Ecclesiæ, sanctorumque cœtui conciliatur. Ipse

[[3

vero

k) *Dissert. de nominibus Calvinianorum* p. 199. cui jungatur Dank.

Hodom. Calv. præfat. VI. p. 1329.

l) *Hodomor. Calv. præfat. §. 4. p. 12.* *m*) *l. superius alleg.*

vero Polanus cum sociennis suis veræ ac propriæ deformationis reus est, dum ex non-peccato peccatum facit, idq; quod factu liberum erat, quasi præceptum à Deo foret, necessarium factu esse dicitur. Orbicularium sanè placentularum, exorcismi, cereorum, cantionum, imaginum, candidarum vestium usus ita ex Ecclesiâ ejiciunt, ut qui eos reduxerit, jam non venialiter, si pontificiorum stylo utamur, sed mortaliter peccâsse videatur. Sed hos insanos ausus firmissima scripturæ testimonia eludunt, quibus libertati Ecclesiæ de rebus mediis & adiaphoris disponere relinquitur.

Reformationis igitur laudē Luth. eripi non patiamur *n*), quippè in quæ ex asse congruunt omnia, quæ hætenus de reformatione diximus. Palmarium est, quod S. Script. verba normam omnium suarum actionum in negotio religionis fecerit, ac speciatim singulas doctrinæ suæ partes Evangelicis testimoniis evidenter comprobârit, id quod nec ipsi Pontificii negare unquam ausi sunt *o*). Hinc est quod certamen olim cum ipso ingredi reveritus fuerit Johannes Staupitius, unâ cum Johanne Cellario, Petro Mosellano *p*) aliisque affirmans; Martinum se in sacris literis multò esse doctiorem *q*). Hoc itaq; sacrarum literarum robore munitus, potuit utiq; contra omnes Papæ ictus & fulmina, reformationis opus & confidenter aggredi, & semel cœptum feliciter finire; non tantum leves aliquas ceremonias ac ritus immutando, aut à correctione morum vitæq; in monasteriis agendæ præposterè incipiendo, sed ipsa summa doctrinæ atq; dogmatum capita prius examinando, paulatim vero sic ad minutiora veniendo, Jacobæo prorsus exemplo, qui reformationem, agitans, primum quidem suorum doctrinam, postmodum graviora furti, adulterii, fœnoris peccata, ultimò ceremonias ac ritus, exter-

nam

n) Danb. loc. proxime cit. *o*) vid. dictum Pauli Langii ap. Job. Wolf. t. l. mem. in præf. Dedic. p. 8. Martinus ille Theologorum nostræ tempestatis omnium facile sapientissimus princeps, doctrinam suam Evangelicis testimoniis roboravit invictus. *p*) Horum testimonia de Lutheri eruditione & curâ Sacri Codicis vid. ap. Gerhard. confess. Cath. l. i. p. i. c. 6. p. 160. Verissimè, inquit Cellarius, dico, quod Martinus Lutherus noster eâ fide S. Scripturam tractet, quâ palmam omnibus adversariis, Italis, Græcis, Hebræis longè præripiat. *q*) Wolf. tom. 2. p. 77.

nam disciplinam continentem, aggressus esse legitur r). Interim non negamus, illas morum corruptelas, quæ in Ecclesiâ pontificiâ publicè tum grassabantur, occasionem reformandi dedisse Megalandro nostro. Quod & nobiscum simul spontè suâ agnoscunt Laurentius Surius, Alphonsus de Castro, Jacobus Fontanus, Florimundus Ræmundus, & alii, quorum longum nimis esset integrum Catalogum texere s). Postquam ita veri reformatoris nomen sibi acquisivit Lutherus, omninò patet, non novam esse Lutheranam religionem & à Luthero primum excogitatam, sed antiquissimam, eamque quæ Christi & Apostolorum tempore illibata viguit, quod inde clarissimè constat, quia sacrarum literarum fidem tanquã fundamentum & principium præsupponit. Dicitur vero non potest, quàm in eo sint toti, qui in Pontificiis castris militant, ut novitatem religionis nostræ evincant, & exagitent. Ubi tamen haud rarò usu venit, ut, dum nimis affectibus indulgent, sæpius, quæ uno in loco asseruerunt, altero vicissim negent, semetque adeò turpissimâ contradictione refutant. Sic Bellarminus alicubi, r) insigniter in Lutheranos debacchatur, dum negat ullum ante Lutherum fuisse Lutheranum; alibi u) tamen veterem esse religionem nostram admittit, affirmans eam, velut centonem, ex pluribus hæresibus componi. Vide quo non rapiant invidia & odium homines sui impotentes, suorumque servos affectuum? Nunquàm nostri nos adeò deminimus, ut Lutheranum, nominis appellatione, fuisse ante Lutherum dixerimus, religionem autem ipsam non præterito demum seculo natam, sed Pontificiis quoque abominationibus antiquiorem, nec ex hæresibus variis confutam, sed genuinæ S. Codicis interpretationi consonam esse tenemus, & firmiter porrò tenebimus, sublatisque simul in cælum manibus gratias agere Deo non cessabimus, qui nos è captivitate Romanâ liberatos, ad veritatis lucem deducere clementissimè dignatus est. Organon autem illud, cuius ministerio ad rem restituendam uti supremo Numini placuit, non

r) Gen. XXXV. Lutherus in b.l. s) vid. Gerb. Confess. Cath. l.1. p.1.c.7.p.173. confetiam Catal. Test. ver p.450.679.04.812.847. & alibi passim. t) Conc. II. de antiq. ecclesie. u) l.4. de not. v. Eccl. c.9.

79
535
non religioso *δγλειας* cultu veneramur, debitis tamen laudibus
afficimus, memoriamque cœptæ reformationis, monente Grati-
tudinis lege, ac Jussu *Serenissimi ac Potentissimi Saxonie Electoris*
Job. Georgii II. Domini nostri ac nutritii clementissimi, recolere,
qvotannis XXXI. Octob. solemus, preces nostras ad unicum Eccle-
siæ caput, verumque ejus sponsum JESUM CHRISTUM juncturi,
suppeditare ut clemēter velit & Lutheros & qvosvis alios religionis
Atlantes, qvi hunc ejus hortum svavissimè viridantem, ab omni in-
commodo tueri, aqve à zizaniis purgare possint. Neqve enim illud
negari vel potest vel debet, qvotidiè adhuc Ecclesiam reformatione
egere, non noviter qvidem ac primum inchoandâ, sed continuandâ
certâ ratione ulterius, qvæ superioribus temporibus cœpta est. Qvâ
qvîdē de re crastinâ die finitis sacris matutinis circa horâ X. pluribus
loqvetur Dn. M. Georgius Henricus Lehmann/ SS. Theol. Studiosus,
binas illas epistolas, *de Reformatione etiamnum hodiè in Ecclesiis*
necessariâ scriptas, alteram Adriani Pauli provocatoriam, alteram
Responsoriam Joh. de Labadie w), excussurus. Cui oratori ut vos
utriusqve reipubl. proceres, unâ cum nobilissimâ studiosâ Joven-
tute frequenter adesse haud dedignemini, peramanter ac officiosè
rogamus, ac qvibuslibet vicissim officia nostra prompto animo
sine temporis exceptione exhibenda pollicemur. PP. die XXX.
Octobr. anno O. R. 1678.

w) Excusæ sunt hæ epistole junctim anno 1672.

Literis Colerianis.



M.C.

ibus
ticu-
toris
ere,
ecle-
turi,
onis
i in-
illud
ione
andâ
Qvâ
ribus
ofus,
clesiis
eram
t vos
ven-
ciosè
nimo
XXX.

ULB Halle 3
004 957 075


VD77








dem m
in finib
reperu
ipse De
in spiri
V
tantò p
Quod i
tus, div
rus No
tionem
aggred
natu, c
fores, se
posuit
ferias n
ter reli
tionem
batur, h

a) L

b) c



er & arduum
is opus, vel inde
ipsâ membrorum
iò dependet. Ni
cidere animadver
escentis copia tan
sa quoque Ecclesia
erroribus, qui ir
terini, eiq; quem
aboleantur, nulla
imæ incolumitas.
a est Reformatio,
nine ea suscipitur.
divini illius affla
egalander Luth
Babylone libera
inta unum annos
d omni semper co
Antichristi Defen
obturato ore im
um in hoc negotio
tionis, quam præ
et, inde Reforma
vino vulgò adscri
bi nomen sumant.
Da-

nten Lutherthum

